



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 101. Conventus quorundam in Granatensis Archiepiscopi ædibus circa  
Papæ auctoritatem habitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563. nuntiatum esse, quod Papa de Hispanis Præsulibus quereretur, & quamquam ipse sibi persuaderet, id oriri ex notitia prava ingesta Pontifici, non autem ex modica reverentia in iis Præsulibus deprehensa in Apostolicam Sedem, nihilominus jussit, ut Lunensis Comes, quamprimum Tridentum advenerit, in hosce Prælatos vigilem haberet oculum, efficeretque, ut res ita procederent, ne Pontifici ad querelas ansa præberetur. Hæc epistola Episcopo Salmanticensi, & aliis, qui obsequentiores Pontifici fuerant, pergrata accidit.

## §. CI.

*Conventus quorundam in Granatensis Archiepiscopi cædibus circa Papæ auctoritatem habitus.*

*Pallav n. 11.*  
*Sarp. p. 665.* Verum hæc epistola nullatenus frangere poterat duritiem Granatensis Archiepiscopi, aliorumque, qui pari sensu cum eo afficiebantur: nihil tamen sua oppositione amplius efficere poterant, nisi ut epistolam impetrarent a Lunensi comite, qua circa eorum agendi rationem fusius purgarentur, *clipeum præsertim conscientie*, inquit Pallavicinus, *attollentes splendidum simul ac validum, ad quem omnis auctoritas moderata subsistit.*

Cæsa-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

Cæsarei vero, quorum princeps erat Dracovitius Quinqueecclesiensis Episcopus Prælatos Hispanos ad conventum in Granatensis Archipræfulis Palatio habendum invitabant, eo fine, ut Hispanos ad rursus petendum calicis usum pertraheret, simulque de Pontificis potestate conferret, cum Cæsar hac de re nonnisi consultis Hispanis agi datis literis iussisset. Ergo apud Granatensem Archiepiscopum conveniunt, ubi Dracovitius, quæ exponenda occurrebant, proposuit, cunctaque rationibus, quotquot poterat, corrasis stabilire satagit. Huic Archiepiscopus suorum sociorum nomine ita respondit: „supervacaneum est, quod Cæsar nobis hæc testimonia opponat: nos enim Florentinam Synodum recipimus, potius igitur hæc erga Gallos adhibenda, qui nonnisi Basileensem suum conventum adoptant.„ Soluta itaque hoc conventu Sebastianus Episcopus Paccensis ex Hispanis Romanæ Curie faventibus unus hac occasione usus Guerrierum hortabatur, ut ipse, alique sibi addicti in eam Sententiam perscriberent ad Pontificem, suam mentem explicantes in agnoscenda suprema illius auctoritate. Ast Guerrerus Archiepiscopus Granatensis hoc monitum flocci pendens respondit, id opus non esse;



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

esse, ac satis fore, ut Pontifex, si de sententiis eorum hac in re prolatis edoctus fuerit, ipsos ejus auctoritati minime adversari cognoverit: cum non oporteret ignavam hanc Italorum adulationem imitari, dicentium, *nobis quod nostrum est, ille det, & nos dabimus, quod suum est.* (\*) Tum in querelas prorupit, quod dicerentur Episcopi respectu Summi Pontificis, esse tanquam Vicarii Pontificis, adeoque illos amoveri posse Superioris arbitrato, ad quod Pattenis Episcopus reposuit: id dictum non esse, sed solum licere Summo Pontifici cum Episcopis concurrere in propriis ipsorum Ecclesiis.

Verum hac in re suam quisque sententiam tuebatur, atque disputatio acrius fuisset accensa, nisi Paccensis Episcopus prior silentium sibi imponisset, ne Granatensis Archiepiscopi animum magis irritaret.

§. CII.

*Pax cum Calvinistis a Galliarum Rege sancita.*

*Pallao. l. 20.*  
*6. 10. n. 1.*  
*Rayn. ann.*  
*tom. 21. hoc*  
*ann. v. 55.*

Ferventibus hisce disputationibus, quibus Synodi Patres agitabantur, Galliarum Rex pacem cum Calvinistis redemit

(\*) Hæc rursus Continuator depravata adduxit ex Pallavicino,